

1747-7-18

TRIUMPHUS VERITATIS

De Reali Præsentia CHRISTI
DOMINI in Eucharistia
CONTRA JACOBUM PICENINUM

10
4431

A

LUDOVICO SANT'ANDREA
ANDRUZZI VENETO
ELABORATUS.

AC SANCTISSIMO D. N.

BENEDICTO

XIII. P. O. M.

DEDICATUS:

*Alvaro Vanc
chez*



ROMÆ MDCCXXV. Typis Antonii de Rubeis
in via Seminarii Romani .


SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO D. N.
BENEDICTO
XIII. P. O. M.

LUDOVICUS SANT'ANDREA
FELICITATEM.



*REGES vident ,
& consurgunt
Principes , & adorant Deum ,
qui elegit te PATER BEATISSIME .*



NON est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Quid enim propius nobis Christo perfecto Deo, & homine, quem intra pectora nostra ferimus, panis, & vini speciebus velatum? Quidam corpus intulit Cælo, non abstulit mundo, sed occultavit; illic reconciliationem operans nobis cum Patre, hinc in ara pretium Redemptionis. Veris, & miris modis in Eucharistiæ Sacramento edimus Corpus, & Sanguinem Christi bibimus sub speciebus panis, & vini, ut nullus horror percellat cruoris, & omnis umbra evanescat crudelitatis. Magnum profectò Mysterium; manducatur Corpus Christi, & minime laceratur, sumitur à singulis, nec consumitur, nec per singulos minuitur distributum, sed totus Christus in singulis integer perseverat & vivus. Aliud videtur, & aliud intelligitur, non visus, non gustus, sed debet fidei vigere iudicium. Num quæris utrum potuerit Dominus



LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Concilia Oecumenica praesentiam realem Corporis Christi in Eucharistia venerantur, & praedicant.



Agna Nicæna prima Œcumenica Synodus Canone XVIII. Eucharistiam Corpus Christi nuncupat. En Canon in promptu . „ Pervenit ad Sanctam Synodum , quod in nonnullis locis , & Civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam , quod nec Canon , neque consuetudo tradidit , ut qui offerendi potestatem non habent , iis , qui offerunt , dent Corpus Christi . Jam verò illud etiam cognitum est , quod jam quidam ex Diaconis etiam ante Episcopos Eucharistiam attingunt . Hæc ergo omnia auferantur , & Diaconi intra suas mensuras permaneant , scientes quod sunt quidem Episcopi Ministri , Presbyteris verò minores : accipiant autem suo ordine Eucharistiam post Presbyteros eis præbente Episcopo , vel Presbytero . Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis sedere . Id fit enim præter Canonem , & Ordinem . Si quis autem

tem